

fuisset de me? Non respondebo ergo melius
deinceps tantæ bonitati tuæ; &c.

CONSIDERATIO VI.

De Longanimitate DEI.

Hec elucet ex eo 1. Quod licet of-
fensus, tam diu toleret injuriam.
2. Differat pœnam. 3. Continuet
benevolentiam.

P. 1. *E*lucet ex eo, quod offensus toleret in-
juriam. Si attonitos nos tenent Dei
omnipotentia, misericordia, bonitas, cete-
ræque in eo perfectiones, quid de ejus Lon-
ganimitate judicabimus, quæ, (nisi omnes
& singulæ infinitæ essent) cæteras videri pos-
set excedere? Ut enim omnipotentia creatu-
ras e nihilo extrahat, nullo labore, nulla tui
victoria, solo opus est Divinæ voluntatis an-
nuntiū: *Dixit & facta sunt, mandavit & crea-
ta sunt.* Ps. 148. Ut misericordiam suam no-
bis exhibeat, ipsa miseria nostra, ipsæ lacry-
mæ ac pœnitentia cordis contriti quodam-
modo sufficiunt; cum facile emolliatur cor
patri, dum filium supplicem ad pèdes suos
provolatum cernit. Ut bonitatem suam

mundo manifestā faciat, propria naturā
sūx inclinacionē movetur; cum omne bonū
sit communicativū sūi; At ut toleret pa-
tienter peccatōrem sibi diu multumque insul-
tantem, se ipsum quodammodo vincat ne-
cessē est. Videt Deus proteri supremam ac
inviolabilem authoritatem suam; videt ferri
a se leges, sed eas prohibitu violati; intentari
minas, sed protere ridei; offert grātias,
sed propudiose contemni. Videt perfidiam
illam, qua vilissima creatura sē palam decla-
rat contra fidem creatorem; rebellionē il-
lam, quam abjectissimum mancipium mo-
vet unico & supremo domino suo; extremam
ingrātitudinem, qua refractaritus filius con-
spirat contra amantissimum parentem. Videt
hec præsentiam sūx majestatis, nec magni-
tudinem bonitatis, nec abundantiam libera-
litatis, nec cœtafū & amorem paternā pro-
videntiae, nec amabilitatem sūx pulchritudi-
nis, nec infinitam dignitatem sūx essentiæ in
perverso corde peccatoris tanti valere, ut
eum a peccato absterrere aut revocate pos-
sint. Quis proin non crederet infelicem hunc
patrum peccatoris, statim atque in lucem edi-
tur, veluti in cunis a Deo suffocandum, &
in impium ejus parentem justū si nam ejus
irama

itam desævituram? Sed O admirabilis Dei : a-
tientia ! videt , & oculis ejus constanter , b-
hævatur monstrum ilud hominis , in quo nec
vestigium humanitatis , obed entiae , obmis-
sionis , reverentiæ , gratitudinis ; & tamen
patienter sustinet . Commovetur equidem
justa ejus indignatio , suscitatur velut bil s in
corde ejus , accenditur odium , exesur ze-
lus gloriæ tam enormiter læsæ ; sed frustra :
prævalet his omnibus invicta ejus patientia ,
nec tam attendit , quid tuendæ integritati
gloriæ suæ conveniat , nec quid ex' gat infinita
dignitas luæ majestatis ; quam potius , quid
placeat super omnia amabili suæ bonitati . Ma-
vult patienter ferre injurias , quam p. opium
vindicare honorem . Mavult vinci quodam-
modo , quam vincere ; cädere læsus ,
quam opprimere lædentem , sustinens , ut lo-
quitur Apostolus ad Rom. 9. vasa iræ in mul-
ta patientia . Nonne tam admirabilis patien-
tia mera abundantia , merus excessus est Di-
vinæ clementiæ ac misericordiæ ? Verum o
amantissime Deus ! postpone ergo , si ita loqui
fas est , semel iterumque honorem tuum ho-
minis malitiæ & injuriæ ; at quid hic tua in-
dulgentia proficies ? Nonne eandem miseri-
cordiam exhibuisti mihi ? An sanavit impie-
tem

tem meam patientia tua? Nonne ea neglecta
multiplicavi indies peccata mea, addens sce-
lera sceleribus, quasi expugnare studu fsem
patientiam tuam, & vel invitam agere in fu-
rorem? Nonne melius consulatum fuisset mag-
nitudini ac dignitati tuæ, si non pepercisset
mihi oculus tuus? Num cum Pharaone ag-
gravare & indurare ausus fusem cor meum,
& denuo insurgere adversum te? Sed o lon-
ganimitas Dei mei! quo usque non progressa
fuisti? Multiplicabam ego peccata, & tu
multiplicabas patientiam: augebam ego eo-
rum numerum, & tu augebas numerum mi-
sericordiarum tuarum; ita ut patientia tua ve-
luti certaret cum mea malitia, imo de scele-
rum meorum numero ac gravitate triumpha-
ret. Itane Deus meus multiplicasti super me
misericordias tuas, cum multiplicare debui-
ses indignationem tuam? Non satis tibi fuit
dissimulare semel iterumque, sed dissimulasti
millies & millies; non satis fuit uno alterove
anno patientiam habere mecum, sed annis jam
pluribus expectasti me; idque licet videres
me consenescere in malitia, & perversitate
cordis mei, ac diuturna expectatione tua ni-
hilo fieri meliorem? Ausimne ultra dicere cum
Evangelico illo debitore (nisi impudens esse

velim) Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi, Math. 18. Nonne satis patientiae ostendisti mihi, tam diu, & prope ad canos meos, dissimulans debita mea, ita pro dolor! jam tum aucta, ut in immensum excreverint, quin parem me agnoscam solvendo? &c. Ah misericordia Domini, quia non sum consumptus! Thren. 3. &c.

P. 2. *Quod differat pœnam.* Esi bonitas Dei summa sit, excedens omnes cogitationes nostras; nonne justitia saltem compellit quodammodo, & adigit Deum ad sumendam vindictam de tot injuriis, tanta protervia in sui contemptum continuatis, maxime cum Deus una ex parte tam implacabili odio feratur in peccatum etiam unicum, ut nihil magis odire possit? ex alera autem paratam semper habeat omnipotentiam, justitiae suæ executricem, ad sumendam justam ultionem de inimicis suis, & vindicandas injurias sibi irrogatas? An desunt ei fulmina, que in caput impiorum vibret? An ignes, quos e cælo aut abysso terræ evocet ad involendos peccatores? An tartara, in quæ rebelles vivos præcipitet? Cur igitur adeo ad puniendum tarda est justitia, cuius proprium officium est in sceleris & scelerum authores animadvertere?

ne impunitate malorum augeatur & invalescat perditorum hominum insolentia? Quid cohipeat manus omnipotentis & irati Dei, ne fetiat, cum ejus virtuti & efficacia nemo resistere possit? cui præterea bono talis indulgentia? Nonne ea animatus peccator, sibi persuadere posset, aut Deum ignorare delicia, aut debilitatem esse, quam ut se vindicare possit? Et nonne re ipsa in malitia sua magis, magisque confirmatur, si adveritat se nemine contradicente, minus vindicante, liberrime agere posse, quidquid demum voluerit? O quot motiva Deo suffragantia, ut longanimum patientiam abrumpat, cursumque relinquat justitiae! cur ergo in inveterato malorum non impletur illud, Luc. 13. *Succide illam, ut quid etiam terram occupat?* An enim minus tolerabile sit, atborem nullos proferre fructus, quam proferre malos, imo pessimos, Deo & sanctis ejus execrables? Si singula hujusmodi perversi peccata velut totidem voces sunt, vindictam e cælo clamantes, quo clamore ergo non personabunt aures divinæ, dum indies, & prope in momenta scelera coacervantur, Deumque magis magisque irritant & exasperant? Nullusne ergo supereft aut in cælo Angelus, qui divini honoris rationem

tionem habeat; aut in interno diabolus, ut
 pote Divinæ justitiae minister, qui vindicis
 partes in se suscipiat? Certe ne Rex quidem
 terrenus gravi injuria afficitur a subdito, quin
 statim currant lictores, & læsa majestatis re-
 um ad commerita supplicia abripiant; solus
 ergo Deus tot annis, tam frivole, tam enor-
 miter, tam impudenter, a vilissimo homini-
 cione tractetur, quin saltē ipsamer Divina
 justitia se commoveat, sibi ipsi satisfactionem
 procuret; suæque consulat dignitati? Sane
 dum filius Dei unigenitus, in quo sibi Pater
 bene complacuit, agnus absque macula, in-
 nocens, impollutus, & segregatus a peccato-
 ribus, solam formam peccatoris suscepit; Di-
 vina justitia velut moræ impatiens, jam in
 ipso flore ætatis terribilem vindictam suam in
 eum exonerat, & peccator tot sceleribus per
 omnem vitam infamis, canos suos cum pace
 ad tumulum deducat? Ah mi Deus! cum
 hæc omnia diligentius perpendo, nonne vi-
 deri debes vim quandam severissimæ justitiae
 tuæ inferre, & veluti exarmare omnipotens
 brachium tuum, ne in inimicos gloriae tuae
 profundat justissimam iram tuam? Quis aliis
 præter te solum, qui tantam cum hostibus
 tam capitalibus possit habere patientiam? An
 queri

queri jure potuissēm , si cum rebellibus Angelis post primum admissum peccatum , tua me justitia oppressisset ? Si non dedisses locum infinitæ patientiæ & misericordiæ tuæ , nonne exaltasses in me , & splendidiorem effecisses justitiam tuam , non mintus adorandam ac prædicandam ? Nonne simul impedivisses infinitas injurias , a me tibi illatas , finemque simul accepisset peccatum : cumque ego in meam ultro ruerem perditionem , nonne condescendendo voluntati meæ , fecisses , quod mea urgebat malitia , tua vero jure postulabat justitia ? At quam longe mitiora fuerunt tua de me consilia ? Cum & mihi , & tibi vellem pessime , tu bene voluisti mihi , nec patientia tua infinita fatigata fuit , quin me etiam immo nolentem sustineret ac conservaret . Ausimne unquam tecum expostulare , quod mihi non reliqueris tempus circumspiciendi me , ponderandi infelicitatem status mei , & redeundi ad te per pœnitentiam ? Vere perditio mea ex me , si tam longanimi patientia tua non sanaveris me . An ultra ea abutar , ad offendendam bonitatem tuam ? Ah converte me Domine , & convertar ad te ! &c.

P. 3. *Quod continues benevolentiam. Videri posset*

posset exhausta Dei bonitas in diuturna illa
 & incomprehensibili patientia ipsius, qua
 peccatorem, licet indignissimum, non tan-
 tum tam diutolerat, quin suo in ipsum jure
 (quemadmodum posset) utatur ; sed etiam
 plane impune sustinet, quin pœnam justissi-
 me commeritam infligat ; sed nec hic sistic
 longanimitis ipsius benignitas, & benignissima
 longanimitas. Insuper (quod mirere) eum
 ipsum, a quo obruitur injuriis, obruit ipse be-
 neficiis ; tamque indulgenter ac benigne cum
 eo agit , ut videri possit amicus, non hostis.
 Vult ut elementa omnia quotidie ipsi, uti ce-
 teris serviant, de necessariis paternæ ipsi pro-
 videt, innumeratas alit creaturas, veluti to-
 tidem famulos, qui ad ejus obsequium præ-
 sto sint, ipsum nutriant , vestiant, foveant,
 calefaciant, refrigerent, illi laborent, imo
 sensus ejus omnes demulcent & oblectent.
 His addit corporis sanitatem, membrorum
 integritatem, virium constantiam, vigorem
 & vivacitatem sensuum, ac ne cumulo do-
 norum suorum quid desit, non raro multos
 vitæ annos sanos & incolames, divitias, dig-
 nitates, æstimationem , splendorem, glo-
 riā; ut etiam profusior in eos videri possit,
 quam in dilectos sibi filios, quos frequenter
 casti-

castigat, humiliat, & affigit, cum tamen
ipsi ut pote obedientes, seque humiliantes sub
potenti manu ejus, potius mereantur favores
celestes, quam ejusmodi contumaces & pro-
tervi, immotui & consepulti in peccatis, ip-
saque vita sua effreni nomen Dei blasphem-
antes. Verum o profunditas judiciorum
Dei, simulque infinitæ misericordiæ ipsius,
quæ non lassatur, etiam postquam peccator
lassatus est in via iniquitatis! Adhuc ad mis-
ericordiam se Deus demittit, & prævenit pec-
catorem, querens illum ad se trahere in vin-
culis charitatis; pulsat ad ostium duri cordis,
cum sponso in canticis petens sibi aperiri;
& in illud intromitti; vellicat ejus aures iden-
tidem illum objurgando, quod audire renu-
at vocem paternæ invitantem: reducit illi
frequenter in memoriam enormitatem ac nu-
merum peccatorum suorum, petens, ut alii
quando tandem se respiciat, videatque im-
mane barathrum, in quod se præcipitavit: e
Lethargo quadammodo illum excitat per fre-
quentes inspirationes; quibus eum hortatur,
ut vincula pravæ consuetudinis disrumpat,
& infami commercio cum mundo, carne, &
dæmone renunciet, seque in brachia pater-
næ suæ clementiæ filiali & tenera cum fidu-

cia conjiciat ; verbo nihil intentatum relinquit , ut aberrantem , sive ac Dei oblitum , ad saniores mentes revocet ; hoc uno gaudens , si in præmium diuturnæ patientiæ & laboris sui animam infelicitis illius lucretur , sibiique devinciat . Possetne aut quisquam pro Deo , aut Deus pro semetipso , si naturali sua felicitate excidisset , plus aliquid præstare ad eam recuperandam quam faciat Deus pro peccatore ; cum omnes artes , omnes vires quasi exauriat in eo ad frugem reducendo ; omnem charitatem impendat in eo sibi reconciliando ; omnes vias pertentet in eo reducendo ; omnesque occasions capiet in ejus cor penetrandi , inque ejus benevolentiam sese insinuandi ? O Deus meus ! Quod innumeris aliis præstisti , nonne infelix ego peccator særissime expertus sum , & indies experior , audiens identidem sonitum , pedum tuorum me insequentium , strepitum quoque pulsantis ad ostum cordis mei , magnaue voce clamantis ; Revertere ad me , & ego suscipiam te ? Jerem. i. Sed quid te movere potuit , ut post tot scelera ex mea , tot gratias ex tua parte , post tantam patientiam tuam , meam contra obstinationem & contumaciam , post infinita beneficia tua , meam vero perpetuam

ingratitudinem adhuc dignatus fueris, & digneris, me tam sollicite querere, tam benevole vocare, tam paterne sollicitare, ut revertar ad te: quid, inquam, movere te potuit, nisi inaudita patientia tua, ineffabilis & nimia bonitas tua? Certe vix Nabal inhumano aliquo responso, Davidem offendebat, cum hic (licet cetera Princeps mitissimus) statim in viam se dedit, ut totam ejus domum funditus excinderet. Et tu mi Deus! licet gravissime offensus, non solum vindictam non spirasti, sed usque adeo tanta charitate, totque beneficiis me obrueris; ut ne ab amico, ne dicam irato & offenso, tantam benevolentiam expectare potuisse. Nonne vel hoc solum oculos meos in lacrymas, cor in genitus & suspiria solvere debet? O quis cor meum dolore transfigeret, quod non amabili patri illud tam diu occluserim? Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, Jerem. 9. Ut plorem die ac nocte impudentiam & ingratisudinem meam? &c.



CON-